



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 68. Protestantes firmato hoc foedere territi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Comite Provinciæ Governatore diffidia
foveret; hinc nullo negotio unacum
sexaginta circiter Provinciæ Nobilibus,
qui intra breve tempus potissimas ur-
bes sibi conciliabant, huic armorum
societati subscripsit.

§. LXVIII.

*Protestantes firmato hoc fœdere
territi.*

Idem quoque fœderatorum fervor sese
Turoniam usque extendebat, cum
interea Guisius, ac Cenomanensis Du-
ces ad eandem societatem Campaniæ,
& Burgundiæ Provincias sollicitarent:
enimvero crebrescente hujus fœderis,
ejusque progressuum fama pene innu-
meri seditiosi libelli adversus Protestan-
tes divulgabantur, hinc iidem, cum
præcipue e suis conventiculis domum
reverterentur, cum majori audacia ex-
cipiebantur: eo autem tempore, quo
Aula Rothomagi hærebat, Borbonius
Cardinalis hujus urbis Archiepiscopus
aliis Episcopis stipatus ad locum, ubi
hæretici convenerant, accessit, ac Mi-
nistris inde ejecto, conscensoque sug-
gestu Auditoribus significabat, quod
ipsum solum tanquam verum Pastorem
agnoscerent, illis vero, qui id renue-
rent, omnem suæ authoritatis vim in-
tentabat. Hanc agendi rationem spu-
rii

*Journal de
Henric III.
an. 1720.
t. 1. pag. 15.*

Sæcul. XVI. rii Reformati interpretabantur, perinde
A.C. 1576. acsi ceteri quoque Præfules eis conveniendi libertatem pariter adempturi essent, nec exiguum eorum ingenio suspicionibus assueto scrupulum injectit Petri Gondii Episcopi Parisiensis ad Pontificem legatio; eidem enim injungebatur, ut quinquaginta aureorum millia annui reditus ex Cleri Gallicani bonis alienandi facultatem Regis nomine impetraret: hinc existimabant Protestantes, quod Rex in sumptus belli contra ipsos gerendi pecuniam inde corradere velit: his de causis admoniti sunt, ut propius ad res suas respicerent, & Navarræ Rex inprimis, qui Niortii Calvinii doctrinam nuper publice professus fuerat, postea autem cum Catharinam Sororem suam, quæ eum Pictavii convenerat, excepisset, Rupellas contendit, ubi tamen civibus diu contradicentibus tandem nonnisi pactis quibusdam conditionibus, quæ ipsius potestatem valde restringebant, exceptus, & die vigesima octava Junii urbem ingressus est.

§. LXIX.

Bona Ecclesiastica in Galliis alienata.

*Spond. ad
 hunc ann.
 num. 5.*

Ceterum iter illud, quod Parisiensis Episcopus Romam versus suscepserat, præter expectationem feliciori secun-